

Johann Georg Dorsche Konrad Olde

## Exercitatio Theologica De Sabbato

Rostochi[i]: Richelius, 1657

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74001272X>

Druck Freier  Zugang



R U Med 1657

Johann Georg Dorschneis  
Vert.: Conrad Oldius.



44. ~~18~~  
15.

CUM DEO!  
EXERCITATIO THEOLOGICA  
DE  
SABBATO,

*Quam*  
Consentiente venerandâ Facult.  
Theologicâ  
PRÆSIDE  
VIRO

SUMME-REVERENDO, AMPLISSIMO  
ET EXCELLENTISSIMO,  
DN. JOHANNES GEORGIO  
DORSCHEO,

SS. Theol. D. & P. P. per orbem cele-  
berrimo, SERENISS. DUCUM MEGAP. Consiliario  
Ecclesiastico Gravissimo, ut & Consistorii Ducalis Assessor  
Primario; Præceptore ac Promotore suo filiali ani-  
mi obsequio æternum venerando,

*Publicæ Eruditorum disquisitioni exponit*

M. CONRADUS OLDIUS,  
HAMBURGENSIS,


*Habebitur Disputatio in Auditorio Majori*

*die 16. Maji Anno 1657.*

⦿:(o):(⦿)

ROSTOCHI

Typis Johannis Richelii, Senatûs Typog.



CUM PRO  
EXERCITATIONE THEOLOGICA

DE  
SABBATO

CONFERENTIA

IN

IN JOHANNIS GEORGII  
DORSCHEI

SECTIO I. DE SABBATO  
SABBATI SACRIFICII, DE QUO  
SABBATI SACRIFICII, DE QUO  
SABBATI SACRIFICII, DE QUO

M. CONRADUS OLDERS

H. ELIENHANS

ROSTOCKI

IN AUSTRIAE REGIA



CLARISSIMO VIRO  
DN. M. CONRADO OLDIO,

SS. Theol. Candidato,

*Amico meo S. P. P.*

Qvam paucas animo ferias concesseris, OLDEN,

Qvas non in studiis degeret ille suis,  
Per quæ cœlestis se tandem gratia fundat  
Atque hilaret cœtus luce oriente sacros,

Plurima testantur documenta. At clarior hoc est,

Qvod quam sint cœlo Sabbata grata, docet.

Sabbaton omne tuum est, vigilantibus indagine facris  
Invigilare bonis, invigilare Deo.

JOH. GEORG. DORSCHHEUS, D<sup>r</sup>

CLARISSIMO VIRO  
DN. M. CONRADO OLDIO, Philosopho  
& SS. Theolog. Candidato laudatissimo,  
Edenti & Defendenti publice  
Tractatum

de  
SABBATO.

**T**ergeminum per *Clare* SOPHOS, sanctosque  
labores

SABBATA nunc nobis, dulcis Amice dabis?  
Sit felix! studiis succedant SABBATA vestris.

Clara satis Karo nobile nomen habent.

Vel Terris nihil est, vel saltem est umbra quietis

Vera manent celo SABBATA, vera quies.

Ita Amico optumo & Compatri colendo,  
Sabbatum gratulari voluit

AUGUSTUS VARENIUS, D.

**S**i nolles, Vir Clare, tuos vulgare libellos  
Fama tibi laudis sat tamen ampla foret.

Virtuti tantæ tandem sunt crede parata

præmia certâ tuæ; *Σάββατον* instat *οὔραν*.

Cum Benedictione scr.

B. GOSMAN, D.

**A**stantum famâ clamaberis ore *disfortius*,

Et præclarorum pulpita celsa petes.

Materiam præbent tibi SABBATHA maxima dulcem

Hocce tua cente est nobile mentis opus

Hoc ad virtutes iter est, hac itur ad astra

Numinis ad veram sic datur ire viam.

M. Petrus *Wolffmar*/ Hamb.

06)(0)(00



## CAPUT I.

### De origine & usu vocis.

§. I.



Plutarchus *lib. 1. sympos.*, à nomine *Sabbos*, quo Bacchos dici Demosthenis & Menandri autoritate comprobat, *Sabbatum* deducit. *Et ipsi*, inquit, *Judæi* huic sermoni testimonium dicunt. *Sabbatum enim* colentes maxime ad bibendum & ebrietatem se invicem invitant. *Aut si qua* gravior res obstet, omnino quidem gustare merum in more habent. Quid de more hoc Judæorum censendum sit in seq. suo loco videbimus; ipsa assertio exinde deducta prolixâ refutatione non indiget, satis enim à verò aliena apparet, quibuscunq; ratio instituti ac celebrandi Sabbathi aliquâ saltem ex parte cognita est. Quod si tamen & Ethnicum fuisse Plutarchum, & hebrææ lingvæ præterea ignarum consideremus rigidior non nihil videtur censura Riberæ, qui *de templo & de iis quæ ad templum pertinent lib. 5. c. 1.* imperitissime hæc à Plutarcho asserti scribit. Cum enim præter nominis convenientiam ipsa celebratio sabbathi Baccho destinata visâ sit, quæ imperitia fuit hominis Ethnicis Sabbathata judæorum pro Bacchanalibus habere. Animadvertenda potius erit fraudulentia sathanæ, qui & ipsum divinum nomen & cultum à Deo institutum aliquomodo imitatus hac ratione & explevit ex parte refractariam animi sui superbiam, & illudit ethnicis, ut conformia ferè se sacra cum judæis celebrare putarent atque ita minus in religionis veritatem inquirerent ad eamque pervenirent. Commodè & doctissime

A

fimè

simè in hanc materiam post Hugonem sanfordum de descensu ad inferos lib. 1. Heinsius in Aristarcho sacro. c. 1. p. 705. de nomine Jacchus. jam Jaccham mysticum de quo tam multa nosser, primi à Bæotio acceperunt Attici, qui & ipsi nomen ab Hebræis trahunt: quibus **אֲתִיקִים** attikim, quo maximè hos gloriatos notum est antiqui dicuntur. Nam divino nomini, ut rectè nuper observavit vir doctissimus, quod ja hebræis non aliud quam terminationem addiderunt. In quo sibi placuit diabolus, qui hoc ubiqve nomen transfudit aut ipse in vasis. Caterum hunc Deum, ut, quod est præcipuum, addamus, celebratum in convivii non est quod quisquam dubitet. Cum Judæi Deum vulgo suum, quem ut nomine usitato, quod non efferunt, ita jah dicunt tanquam vini repertorem, etiam hoc tempore omnibus in mensis usitata hac formâ celebrent **כִּרְךָ אֲתִיקִים** Benedictus tu, ó Domine Deus nosser, Rex mundi, fructus vitis creator. Cui veteres haud dubio notissimum è **Ὁ ὕμνιον** halelujab addebant. Quod justinus seu quicumque autor est libelli, qui nunc, *Quæstiones ac responiones orthodoxæ*, inscribitur (postquam serio quid sibi vellet **ἄλλα λέγει** quæsivit) tandem, **ἡ μέλις ὑμνήσαι πρὸς**, exponit. E quo hallelujab, suum illud apud grecos è **λελεῦ ἰαχες** in contumeliam divini nominis transfuisse generis humani hostis videtur: quo ubiq, in Dei hujus celebratione, ac præsertim temulenti utebantur. De quo jam prolixè supra, nam diverso modo ea acclamatione utebantur. Quemadmodû hoc tempore Judæi nunquam magis hallelujab illud suum, quam in pascha ubi strenuè in ebriantur, ut ex formulis quibusdam patet, canere consueverunt. Aliæ etiam Ethnicorum opiniones videri possunt apud Dion Cassium lib. 37. Rom. Hist. Tacitum lib. 5. &c.

§. 2. Apion Grammaticus recensente Josepho lib. 2. contra eum edito. Lorino in aet. Apostol. c. 1. v. 12. Ribera de Templo lib. 5. c. 1. *sabbathum* à voce ægyptiaca *sabbo* deducit, quod Hebræi ex ægypto redeuntes laboraverint ingvinum ulceribus (qui morbus ægyptiis *sabbo* dicitur) & septimo die quieverint. Verum & hæc opinio apud Judæos & Christianos absque omni refutatione satis apertè falsa est.

§. 3. LaStantius lib. 7. Divin. institut. c. 14. & Theophilus lib. 2. ad Autolyicum a **שבעה** schebah, quod est septem sabbathum deducit.

deducunt. sed rectissime hac in parte notatur Laetantius à Ribera de Templo lib. 5 c. 1. quod tolerabilius quidem erraverit autoribus supra citatis Plutarcho & Apione Grammatico, sed erraverit tamen. post Riberama Lorino in act. Apost. c. 1 v. 12. Menochio de Republ. Hebræor. 1. 3. c. 1. & aliis passim hæc assertio etiam rejicitur. Approbat tamen eam Michael Ayguanus cujus nomen olim diu latuit nuper autem inventum fuit, in exposit. Psalm. 37 (Juxta hebræum & qui cum sequitur Lutherum 38.) Qui cum non uniformiter circa originem hujus tituli ludat, placet ipsa ipsius verba ascribere: *Hic Psalmus, inquit, est tertius inter Psalmos pœnitentiales, qui talem habet titulum. Psalmus David in rememoratione Sabbathi. Ubi notandum quod Sabbathum dicitur a Sabe, quod est septem, & sic potest omnia, quæ septenario numero continentur, significare, vel quod septimum numerum complet, significat igitur quandoq; totam septimanam, quæ septem continet dies, unde, jejuno bis in Sabbatho, quandoq; septimum diem septimane. Non est homo ille à Deo, qui Sabbathum non custodit, vel potest significare peccatum, quod septenario numero continetur. Et sic volunt quidam, quod hic accipiatur sabbatum pro peccato, ut sit sensus, quod David fecit istum Psalmum in recordatione peccatorum suorum. Vel alio modo sabbatum interpretatur requies, & significat vitam beatam, in qua sola vera requies consistit, in qua est omnis boni abundantia. Invenietis requiem animabus vestris, Recordatio autem istius Sabbathi nos ducit ad memoriam peccatorum nostrorum, quia, dum ingenti desiderio illam requiem desideramus, oportet etiam considerare non solum quæ juvant ad illam obtinendam, ut illa procuremus, sed etiam quæ impediunt, ut illa fugiamus. Cum ergo commissa peccata impediunt nos à possessione Sabbathi dum desideramus ad requiem pervenire, oportet etiam, quod consequenter recordaremur peccatorum nostrorum, quæ ne nobis obstitant, per pœnitentiam deleamus. Ex quibus habet titulus dicti Psalmi David, in rememoratione Sabbathi, id est, gloriæ æternæ, pro qua obtinenda requiritur peccatorum digna pœnitentia, vel secundum primam expositionem in rememoratione Sabbathi id est peccati.* Con venit cum hac commentatione quod ad primam expositionem ferè ad verbum Commentarius in eundem hunc titulum Biblior. vulgat. italic. editionis Venetæ Anno MDLVIII. Verba istius commenti sic habent. *Titolo Salmo de David ne la ri-*

Luc. 19.

Joh. 1.

Matth. 11.

cordatione del Sabbatho. Il sabbatho e ditto a saba che vol dire sette, & a tal modo po significar ogni cosa che in se contiene il numero settenario, ouer nel qual finisce il settenario. Significa adunque alcuna fiata tutta la settimana che in se contengosi sette giorni, come leggesse in santo Luca à l. VIII. capitolo. Je iuno due fiata nel sabbatho. Alcuna fiata significa l' ultimo giorno de la settimana, come leggesse in luca al XLX Capitulo, era grande quel di del sabbatho, ouer puo esser significato per il peccato che contiensi per il numero settenario, & alcuni tengono che à tal modo qui tollesi il Sabbatho per il peccato, come e questo sentimento del titolo che David fece questo salmo in recordatione de suoi peccati. Hoc est. Titulus Psalmus Davidis in recordatione sabbathi. Sabbathum dictum est à saba quod est septem, & tali modo potest significare Omne id quod in se continet numerum septenarium, aut quod finit septenarium, Significat igitur quandoque totam septimanam, quæ in se continet septem dies, quemadmodum legitur in sancto Luca c. 18. Ieiunobis in sabbatho Quandoque significat ultimum diem septimanae, quemadmodum legitur in luca c. 19. Erat magnus dies sabbathi (procul dubio est vitium Typographicum. Verba enim hæc non Lucæ sed Joh. c. 19. habentur) Aut potest significare peccatum, quod continetur numero septenario. Et secundum alios quod Sabbathum accipiatur pro peccato, ut est quorundam explicatio tituli, quod David fecit hunc Psalmum in recordatione suorum peccatorum. Parum certè hæc aut nihil potius à prima expositione Ayguani discrepant. Notamus ad Commenta hæc ut & ea quæ porro adiecit Ayguanus. 1. Nunquam Sabbathum significare peccatum. Nec, si vel maximè à saba septem vox Sabbathum deduceretur, ulla ratio convenientiæ peccati cum numero septenario dari posset. 2. Nec alteram expositionem Ayguani, quatenus ex spe futuri ac æterni Sabbathi debita peccatorum recordatio colligitur, quamvis ratione rei reiicienda non sit, ad dictum titulum quicquam facere. Non enim fit mentio in rēxtu Hebræo Sabbathi, sed solum recordationis. Το δὲ ἔστιν ἑβδομήκοντα, de suo addiderunt, quos sequitur Latina vulgata quam more suo Carmelita explicat. Rectissimè additamentū hoc omisū in versione à megalandro Luthero, qui titulum hujus Psalmi, ejusq; simul sensum ac scopum sic exprimit: Ein Psalm Davids, zum Gedächtnis

**Gedächtniß.** Et in versione gallicâ adornata à Pastoribus & Profes-  
 soribus Eccl: Genevensis. Verba istius versionis sic habent: *Pseaume*  
*de David (a) pour (a) reduire en memoire. & additur in marg., (a) Ou pour*  
*(le) rememoir (souvent) (b) Aſçavoir la grace & faveur du ſeigneur, qui a-*  
*yant exauçé les ſupplications de David l' a retiré d' adverſité.* Objectū re-  
 cordationis intentæ minus rectè etiam ab his exprimitur; Meli-  
 us idem exhibet Gesnerus in Comment. in tit. hujus Psalmi *Dua,*  
*inquit, ſunt cauſa hujus appellationis. Primum, quia merito omnes ho-*  
*mines quotidie ſibi natura ſua depravationem in memoriam revocare,*  
*peccata ſua agnoſcere & ſerio deplorare debent, ut univerſa vita nihil ſit*  
*aliud quam perpetua pœnitentia. Deinde, quia David in eodem hoc*  
*carmine conqueritur etiam de omni generis calamitatibus, morbis & mi-*  
*ſeriis, quæ ex peccato oriuntur: Et vero homines nihil facilius & citius*  
*obliviſcuntur, quam quoties è gravi aliquo morbo aliove periculo ſunt li-*  
*berati, idcirco Pſaltes veluti publicum µνημόσυνον Conſtituere voluit,*  
*quo ſubinde admoneremur, è quibus & quantis malis eluctari ſimus, &*  
*quam facile in ea recidere poſſimus. 3. De ipſa origine vocis quo mi-*  
*nus cum Agyuano, Lactantio & Theophilo conſentire queamus*  
*plurima obſtare. Obſtat (1.) ipſa ratio vocis. ſeptem enim he-*  
*bræis non Sabe ſed שבע או שבעה dicitur (2.) Textus Bibliicus,*  
*qui ut in §. ſeqventi videbimus planè aliam hujus vocis originem*  
*ſuppeditat. (3.) Turbatio ſenſus bibliici. ſi enim verba mandati*  
*divini Exodi cap. 20. v. 9. & 10. ששון ימים העבר וְעשית*  
*כל מלאכתך: ויום השביעי שבת להנחה: Sex diebus o-*  
*peraberis & facies omnia opera tua. ſeptimo autem die erit Sabbathum*  
*Domini ſic explicemus, ut titulus hujus diei, quo Sabbathum dicitur*  
*ad ſeptenarium numerum reſpiciat, & exinde diem hunc de-*  
*nominet; Idem erit ac ſi quis dicat ſeptimo autem die erit ſepti-*  
*mus dies Domini. Commodius itaqve alio præſertim cum ratio*  
*vocis idem innuat, reſpectus hujus vocis refertur. Quin imo ſi*  
*reſpectum ſeptenarij in hac ipſa denominatione attendamus, co-*  
*hærentia textus in l. c. interit, quæ ipſa nervoſiſſimè ſibi conſtat,*  
*ſi rationem quietis attendamus. Cohærentia hæc eſt: Opponun-*  
*tur ſibi dies ſex primi & ſeptimus conſeqvens: Ratio oppoſitio-*  
*nis eſt in eo, quod diebus ſex primis eſt laborandum, die ſeptimo*

vero quiescendum. v. 9. & prioribus verbis v. 10. Proponitur conditio sex dierum v. 10. eidem opponitur conditio septimæ. Conditio sex dierum est labor & consummatio omnium operum, conditio diei septimæ huic opposita est Sabbathum Domini. Et consequenter pertitulum hunc Sabbathum Domini infertur id quod labori est oppositum nempe quies. Verba certe hæc Sabbathum Domini ad subjectum pertinere non possunt, sed apertissime prædicatum sunt ejus quod per particulam autem ad præcedens effatum de diebus sex referrur. Respectivam esse hanc particulam luce meridiana clarius patet; quod vero respectus iste præcisè adversativus sit neglectâ etiam naturâ hujus voculæ ex re ipsâ constat. Demonstrat illud partim descriptio celebrandi Sabbathi in v. 10. parim ratio causalis in v. 11. annexa. In v. 10. describitur modus celebrandi Sabbathi, quod sc: ab omni labore feriari debeat non solum quilibet Paterfamilias sed & filius & filia & servus & ancilla & bestia, imo & peregrinus quivis inter Judæos vivens in v. 11. proponitur ratio causalis & laboris per 6. dies continuandi & Sabbathi celebrandi. Verba Sp. S. hæc sunt. *Sex enim diebus fecit Dominus & cælum & terram & mare & omnia quæ in eis sunt, & requievit in die septimo. Idcirco benedixit Deus diei Sabbathi & sanctificavit eum.* Hic clarissimè exprimitur ratio & laboris per sex dies continuandi & septimum pro Sabbatho habendi, quare sc: & qua ratione labori sex dierum opponatur Sabbathum Domini, quia sc: sex diebus primis DEUS in opere creationis occupatus fuit, septimo autem die requievit, & idcirco, id est, propter requiem & in respectu suæ requiei ei benedixit eumque sanctificavit. Manifestum itaque est cum ex ipso sensu verbali v. 9. & priorum verborum v. 10. tum etiam ratione ejusdem causalit. v. 11. quæ posteriora duo exegetica sunt v. 9. & priorum verborum v. 10. quod per titulum Sabbathi dies septimus non ex respectu numeri sed requietis divinæ denominetur. 4. Amplitudo significati: sunt enim etiam alia festa, quæ Sabbathata dicuntur nec tamen in diem septimum incidunt: significat enim Sabbathum, ut rectè notat Flacius in clavi script. S. voce Sabbathum, quod vis festum, quo ex mandato DEI Judæi tenebantur à prophanis operibus

ribus quiescere & nomen Dei celebrare sive in septimam sive in  
aliam diem incidere. De quo pluribus §. 5. videbimus.

§. 4. Deducitur in sacris appellatio Sabbathi à שבת  
Quievit, cessavit, & notat requiem; ut rectè vocem hanc inter-  
pretatur Ayguanus in expositione Tituli Ps. 47. Ubi quasi aliud  
agens melius rationem vocis assequitur, quandoquidem pro ratio-  
ne glossæ ipsi conduceit, quam in exposit Psal. 38. ubi tamen ex  
scopo eam intendit. Verum & hic notamus idem quod in §. pri-  
ori de titulo Ps. 38. notavimus scilicet illud *Deut. 5. αὐτῶν*  
additamentum esse τῶν 70. fatente Ribera de templo lib. 5. c. 1. In  
Textu hebræo hæc non habentur, unde & rectissimè à Theandro  
Luthero in versione Germanicà sunt omisâ. Ratio hæc hujus  
vocis ex plurimis locis s. scripturæ derivari potest, inter alia ex  
ipsâ primâ institutione Sabbathi & ex egeticâ ejusdem declaratio-  
ne Exod. 20. v. 9. 10. quam in §. superiori considera vimus. In  
prima institutione Sabbathi Gen. 2. c. 1. docetur separatio & san-  
ctificatio diei septimæ facta כִּי בִּרְשֵׁי שַׁבָּתוֹ מְלֵאכְתּוֹ אֲשֶׁר בָּרָא אֱלֹהִים לַעֲשׂוֹת  
quia in eo die cessaverat ab  
omni opere suo quod Deus fecerat; Cum itaque sanctificatio ha-  
jus diei propter requiem facta sit, & ipse titulus hujus diei requi-  
em significet facile patet ex hoc ipso respectu denominationem  
hujus diei dependere. Accedit quod in scripturâ sacrâ quando  
Sabbathum sanctificandum præcipitur nunquam ratio præcepti  
ex numero deducitur, sed semper ipso titulo hujus diei respicitur  
ad cessationem Dei in hoc die ab omni opere suo & exinde subse-  
quutam benedictionem ac sanctificationem.

§. 5. Notanda porro erit applicatio hujus vocabuli. Hic  
distingvendum est inter generalem vocis significationem in lati-  
tudine Etymi, & specialem ejusdem applicationem ac determi-  
nationem. In generali significatione ac latitudine Etymi nomen  
שבת ponitur pro ipsâ reqvie; Hanc enim significat & hac rati-  
one omni tempori, in quo requies populo Israelitico indicta fuit,  
applicatur. Sic Levit. 25. mentio fit Sabbathi terræ. Et c. 23. v. 24.  
Deus seligit primum diem mensis septimi in שַׁבָּתוֹ זְכוֹרָתוֹ וְזָכוֹרָתוֹ  
Sabbathum

Sabbathum memoriale vociferationis. Et versu 32. ejusdem capi-  
tis decimus dies mensis septimi Sabbathum magnum vocatur. Ra-  
tione specialis vero & quidem propriæ applicationis ac *αρετων*  
diei septimæ cuiusvis septimanæ tribuitur. De quo in primis  
notabiles sunt Levit. c. 23. v. 3. & 4. versu 3. præcipitur sanctifica-  
tio diei septimæ, quæ etiam magnum sanctumq; Sabbathum voca-  
tur. v. 4. recensentur cætera festa, eaq; non Sabbathata sed con-  
ventus vocantur.

§. 6. Est & amplior significatio hujus vocis significat enim  
interdum totam septimanam. Sic Levitic. c. 23. v. 15. & 16. Men-  
tio fit septem Sabbathorum, & intelliguntur septem septimanæ.  
ut constat ex loco parallelo Deut. 16. v. 9. Ut & ipsa verba hujus  
loci non incommode verterunt 70. Nec licet hic loci ad prima-  
riam Sabbathi significationem recurrere, quod septenarius Sab-  
bathorum propriè & *αρετων* sic dierum numerus Septem sep-  
timanas inferat. 1. enim in utroque versu L. c. mentio fit secundi  
diei Sabbathi. 2. in versu 25. præcipiuntur numeranda septem  
Sabbatha usque ad secundum diem septimi Sabbathi. Atq; in  
die septimo, qui est Sabbathum propriè sic dictum non potest nu-  
merari dies secundus, nec totum illud uno die absolvi potest. Ne-  
cessario itaque in l. c. per Sabbathum tota septimana est intelli-  
genda. Sic itidem Luc. 18. v. 12. Phariseus *ισυω*, inquit, *δς ε*  
*καθαρος*, quod rectè vertit Luthèrus noster *Ich faste zweter in der*  
*Woche*. Nec sane verba hæc de abstinentia unius diei à pran-  
dio nempe & à cœna intelligi possunt notissimum enim est de Pha-  
risæis, quod ex peculiari sectæ suæ instituto bis in qualibet septi-  
mana ieiunium celebrarint die lunæ nimirum & Jovis. Teste Jose-  
pho lib. 18. antiq. c. 2. Ephiphanio l. 1. Pan. Camerone ad Mat-  
th. c. 19. pag. 176. Interdum etiam qualibet septimanæ dies Sab-  
bathum dicitur, & secundum numerum sabbathorum denomi-  
natur. Sic dies proximus post Sabbathum Judæorum propriè sic  
dictum dicitur prima Sabbathorum *πρια ε καθαρων*, ut soepissi-  
me in N. T. Occurrit. vid. Matth. 28. v. 1. Marci 16. v. 2. 9. Act. 20.  
v. 7. 1. ad Corinth. 16. v. 2. quæ omnia in cap. 4. fufius expendenda  
erunt.

erunt. Id obiter notamus quando Communis quædam septimanæ dies dicitur Sabbathum semper eam sic vocari cum additamento numeri, absolute vero sic dictus dies Sabbathi aut Sabbathorum ipsum diem Septimum proprie sic dictum designat.

S. 7. Observandum etiam hic erit quid Sabbathum *δευτέρου* Luc. c. 6. v. 1. Nec enim alibi hæc vox Occurrit. Variarum variorum de hoc Sabbatho sunt sententiarum. Quinimo ut numeri Platonis propter suam obscuritatem in proverbium abierunt: Sic Judæorum secundo-primæ Sabbathæ *παρασκευῶν* jactata reperiuntur inter res preposteræ teste Casaubono Exercit. 14. ad annales B. Quæ tituli Obscuritas procul dubio fecit, quod Arabs alteram partem vocis Compositæ dissimulavit, alteram expressit: Sic enim verba Luca transfert, quasi invenisset scriptum *καὶ τὸ δευτέρου* Sabbatho secundo, ut idem ib. notat. Alii ut Gregorius Nazianzenus referente Hieronymo Epist. 2. ad Nepot. Syrus interpres qui vocem hanc plane prætermisit, ignorantiam suam ingenuè sunt confessi. Chrysostomus Homil. 40. in Matth. per Sabbathum *δευτέρου* intelligit diem festum, qui continuo sequebatur Sabbathum, recensente Ribera de festis Hebræor. c. 1. Verius tamen videtur Riberæ, quod visum est Theophylacto & Euthymio in cap. 6. Luca. Cum sexta Sabbathi sive parasceve dies festus erat, Sabbathum illi succedens secundo-primum appellari. Chrysostome aliam prorsus opinionem de hoc Sabbatho tribuit Estius in Annot. 12. cap. 6. Luca: Aliam, inquit, scilicet opinio, quæ est Chrysostomi, quod in Sabbatho aliud festum ut novilunii vel pentecostes incidere, & ita esset duplex sabbatum unde fortasse Matthæus & Marcus habent in plurali numero in sabbathis. Probabilem hanc opinionem Estius judicat, ut & priorem quam recenset, quod scilicet fuerit dies octava alicujus solennitatis, ut Paschatis vel tabernaculorum, quæ cum primâ die pari erat veneratione solennis, Rejecit in eodem loco Paraphrasin Erasmi in Lucam, qui putat, dictum secundo-primum eò, quod incidens inter duo Sabbathæ videatur geminam habere religionem; quod & finis sit sabbathi præcedentis, & initium sequentis. Epiphanius contra Ebionæos & contra non recipientes Evangelium Jobannis distinguit inter *τὸ πρῶτον*

B

*καὶ τὸ δευτέρου*

*Occurrit*

Καθεστὸν τὸ ἀπὸ δευτέρου ἡμερῶν sabbathum naturale, quod ab ipso re-  
rum initio fuit determinatum, & τὸ καθύπερθε ἡμερῶν ἡμερῶν, quod a lege  
definitum est. Hac præsuppositâ distinctione per Sabbathum

δευτέρου ἡμερῶν intelligit primum naturale Sabbathum post macta-  
tum Pascha. Et sic idem primum dici poterit propter antiquio-  
rem ejus institutionem, quam legalium Sabbathorum, secundum  
verò, quia in ordine dierum paschaliū posteriorius erat sabbatho  
legali, quod agitabatur die 14. Mensis Nisan. Quod ad rem ipsam  
cum Epiphanio convenit Josephus Scaliger sed aliam sequitur ap-  
pellationis rationem: Non enim format vocem ex δευτέρου &  
ἡμερῶν, ut communiter fieri solet, sed ex δευτέρου & πρῶτου, ut sen-  
sus sit secundo-primum seu à secundo die paschatos primum. Cu-  
jus assertionis rationes videri possunt in lib. ejus 6. de emendat. tem-  
porum, in diatriba de tertia Domini paschate, Isagogic. Canonum lib. 1.  
cap. 6. Coeteris omissis rationibus certum atque indubitarum  
sententiæ Scaligeri fundamentum esse in verbis Moïsis Levit. c. 23.  
v. 15. asserit Casaubonus exercit. 14. ad annales B. Ubi jubet Domi-  
nus numerare septem hebdomadas pentecostæ סבועות סבועות  
דודו δευτέρου & πρῶτου, à postero die Sabbathi. Nam quia jubentur  
numerare hebdomades ad Pentecosten non ab ipso die Pascha-  
ris, sed à proximè sequente; Mirum non est Sabbatha omnia à pa-  
schate ad Pentecosten sumpsisse appellationem, δὸν τὸ δευτέρου  
& πρῶτου. Brentius Homilia 47. in cap. 6. Lucae, ex variis opi-  
nionibus duas maximè probabiles seligit; Si quis, inquit, diligen-  
ter omnia, quæ ad banc rem attinent excutiat inventret vel alterum diem  
Paschæ à quo numerandi erant dies Pentecostes, quemadmodum in Levit.  
cap. 23. scriptum est, vel quod magis placet septimum diem Paschæ, quem  
Moses jubet eadem festivitate celebrari, quæ prima dies celebrabatur, vo-  
cari Sabbathum secundo-primum.

Genevenses per Sabbathum  
δευτέρου ἡμερῶν intelligunt octavum seu ultimum diem Paschatos,  
& sic videntur terminum hunc interpretari, secundi Sabbathi, i. e.  
septimanæ primum. Verba ipsorum hæc sunt in notâ ad cap. 6. Lu-  
cæ v. 1. Comme qui dirait l' octave du sabbat, c' estoit le dernier jour de  
la feste des pains sans levain, ainsi appelle pour ce qu' il estoit solennel comme  
le premier.

13

& premier, id est, ut qui notaret octavum Sabbathi, qui erat ultimus dies  
 festi azymorum, sic appellatus quod æquè solennis erat ut primus. Con-  
 jecturis hæc omnia potissimum nituntur, id tamen certum omni-  
 no est ex textu, Sabbathum *δευτερόπεως* non esse ex prophanis  
 diebus tropicè Sabbathata dictis, his enim omnino licitum erat spi-  
 cas vellere, confricare & manducare, ut videre est ex Deuteron.  
 cap. 23. v. 25. At Christus non respondet murmurantibus Phari-  
 saeis alia ratione, nisi exinde, quod facerent opus etiam in ipso Sab-  
 batho eis licitum: Refutat enim Phariseos primò ex eo, quod de-  
 bita alicujus rei sanctificatio operibus ultimæ necessitatis non vi-  
 oletur, secundò ex eo, quod filius hominis, ipse scilicet Salvator  
 noster, Dominus sit etiam Sabbathi. Minus conveniens videtur  
 sententia Chrysostomi, prout ea citatur à Ribera, nec enim hac ra-  
 tione facilè dabitur applicatio tituli: Nec prout citatur ab Estio,  
 hac ratione enim potius dicendum erit sabbathum magnum quam  
*δευτερόπεως*; Et conjectura certè admodum incerta est, quæ pro  
 hac sententia exinde deducitur, quod Matthæus & Marcus habent  
 in plurali numero *in Sabbathis*: Notissimum enim est & Sab-  
 bathum in singulari & Sabbathata in plurali eodem sensu dici. Sic  
 Actor. 13. v. 14. dicitur de Paulo & comitibus ipsius, quod ingressi  
 sunt synagogam *τῆς ἡμέρας τῆς Σαββάτων*. Sententia Erasmi nulli-  
 us ferè est probabilitatis, omne enim Sabbathum, sive propriè sive  
 tropicè sic dictum intelligamus, est inter duo Sabbathata: Et sic  
 omne Sabbathum etiam esset *δευτερόπεως*. Distinctio Epiphanii  
 inter Sabbathum ab initio determinatum, & id quod à lege de-  
 mum determinatum est, nulla est, unum enim idemq; est Sabba-  
 thum, quod in Paradyso primitus institutum, & postea in lege con-  
 firmatum est. Coetera omnia sua quæq; probabilitate gaudent,  
 nec facilè in iis certum quid quisquam determinare poterit.

§. 8. Notandum etiam porro erit quid sit Sabbathum magnum.  
 Ipse quidem hic titulus in sacris expressus non reperitur, quod ad sen-  
 sum idem esse videtur quod *שבת גדולה* quod & Lutherus hoc  
 sensu expressit *der große heilige Sabbath* Levit. c. 23. v. 3 &  
 v. 32. ejusdem c. *enr großer Sabbath*. Et generaliter sic dici  
 potest

potest de quovis Sabbatho. Specialiora sunt verba Johannis c. 19. v. 13. *ὡς παραμεγάλη ἡμέρα ἐκείνη ἡ ἑβδoματῆς*, Erat enim magna dies illius Sabbathi. Casaubonus Exerc. 16. ad annales Baronij per magnum Sabbathum præcisè intellectum vult diem sequentem post feriam quintam magnæ hebdomadis, quæ fuit septimana ante pascha, quam ut L. c. recenset Patres græci *μεγάλη ἐβδομάδα* vocant. Verum cum incertum sit ipso Consistente, an inde ab ipsis temporibus Apostolicis consuetudo hæc originem habuerit, & sufficiens ratio alia ex circumstantia temporis suppeditetur, minus legitima hæc ipsa hujus termini de terminatio censenda videtur; Rectissime enim dies illius Sabbathi magna dici potest respectu Sabbathi ordinarij septemdiælis & festi paschatos quod in eandem diem incidit. Unde convenientissima est applicatio, quod per Sabbathum magnum intelligatur dies Sabbathi duplex i. quidem septemdiælis propriè sic dicti, z. festi alicujus magni. Riverus in *Commentario in Exodum c. 23.* explicat verba Joh. c. 7. v. 37. *ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῇ μεγάλῃ τῆς ἐορτῆς* h. modo, quasi ipsum festum congregationis magnæ vocetur *magnus dies festivitatis*, quod idem esset ac *Sabbatum*. Sed planè & aperte erronea hæc est explicatio; Non enim *ἐορτῆ* sed ultima dies *τῆς ἐορτῆς μεγάλης* vocatur, ut cuius verba hæc insipienti facile patet. Ultima enim dies cujusvis festi æq; ac prima præ cæteris solennis erat; quo respexisse hoc titulo Johannem ex geminato articulo præpositivo facile constat, hac enim ratione geminatus articulus hunc sensum infert *in ultima die, illâ magnâ* (innuendo respectum ad ipsam ordinatiōnem divinam) de quo uso hujus articuli videri potest Franciscus vigerus in libello de præcipuis græcæ dictionis idiomis cap. 1. Quod satis feliciter expressit Megalander Lutherus in *versione germanica* **Über am letzten Tage des Festes der am herrlichsten wahr.** Ut itaque ex verbis hæc debite intellectis error Riveri patet sic etiam exinde facile constat quod magnitudo diei festi aut Sabbathi non præcisè certum aliquem diem à Casaubono determinatum inferat. Nec tamen idcirco negamus, quod Judæi præ cæteris proximum Sabbathum ante pascha *Sabbatum magnum* vocare soleant: *Proximum Sabbathum ante Pascha* (verba sunt Buxtorfij in *synagoga Jud. c. 12. p. 285.*) *sanctum valde ab illis habetur, prolixamq; habent eo Concio-*

*abbatium  
ignoni sabbat  
duplex in  
elligitur 1 die  
abbatium duplex*

*ners*

nem de agno paschali, illiusq; usu. Appellatur ab illis Sabbathum magnum; idq; propter miraculum quoddam, quod prisca temporibus in hunc modum contigisse referunt, scribitur in Exodo: *Decima die mensis hujus tollat unusquisq; agnum per familias & domus, & servabitis eam usq; ad quartam decimam diem mensis hujus. In hac verba ita Commentantur Rabbini: Patres nostri decima die agnos suos acceperunt, & lectorum suorum spondis alligarunt, ut ad decimam quartam usq; diem eos servare possent. Quum hoc Egypti vidissent, quæ siverunt ab illis, quid sibi cum ligatis illis agnis vellent? Israëlita responderunt; festo paschatis illos in oblationem mactare volumus. Egrè id tulere ægyptii, ubi viderunt pecus illud quod instar Dei colunt (signum enim arietis ægyptiorum Deus erat) ob oculos suos mox mactandum esse. sinitristri itaq; aliquid in Israëlitas meditabantur. At ingens, Deo ita volente miraculum contigit. Tanto terrore ægyptiorum animos percussit, ut ne hiscere quidem ausi fuerint, nedum ut injuria ulla Israëlitas afficerent. Addunt præterea Aharonem sic à Mose Compellatum; Non potest id ita fieri, abominaciones enim ægyptiorum, (agnum nempe, quem mactare ducunt abominandum esse facinus, siquidem Dei loco ab illis colitur) immolabimus Domino Deo nostro? quod si mactaverimus ea quæ colunt Egypti coram eis, lapidibus nos obruent. jam vero Deus ægyptiorum animos consternavit, & tantum illis incussit terrorem, ut Israëlitis nulla tenus nocere potuerint. Ingentis hujus miraculi causa sabbathum hoc, qui dies mensis decimus fuit, Magnum Sabbathum appellat.*

Exod. 12.

v. 3. 6.

Exod. 8.

v. 26.

§. 9. Pro ratione septenarij vox Sabbathum ratioque ejusdem longius etiam extenditur. Sic quovis septimo anno Sabbathum seu requies terræ erat in V. T. de quo legi potest Levit. c. 25. v. 2. 1. Macchab. c. 6. v. 49. ut & idem septies repetitus, qui fuit magnus jubilæus, de quo agitur Levit. c. 25. v. 8. Origenes & cum ipso alij ad rationem mensium titulum hunc extendunt, & festum primæ diei septimi mensis vocant Sabbathum Sabbathorum, quasi sabbathum mensium, quod, ut inter dies sic etiam inter menses septimus Sabbathum esse debeat. Quod ipsum quamvis demonstrari ex sacris non possit, videtur tamen ratione non adeo improbabili ex Levit. c. 23. v. 24. deduci posse. Nec obstat obiectio Riveti in Com-

men.

ment. in Exodum c. 23. quod hac ratione totum mensem festivum esse oportuerit. quæ enim hic est vis consequentiæ? Totus mensis septimus non est festivus. E. festivitas primi diei mensis septimi non respicit rationem festivitatis septimi diei.

§. 10. Nonnulli per Sabbatha etiam intelligi volunt ipsa sacrificia ad festivitatem Sabbathorum pertinentia, & pro hac assertionem citant Levit. cap. 23. v. 38. Verum si rem ipsam paulo accuratius pensitemus, aliena nimis hæc videtur translatio, & ex textu nullam consequentiam profluens, sed potius eidem repugnans; Recensentur in versu præced. 7. festa Domini quæ sanctificanda, & in quibus ipsi sacrificia sunt offerenda; In hoc vero v. 8. (1) dies qui itidem ut festa superius memorata sanctificandi sunt. (2) Sacrificia quæ præter superius memorata Deo sunt offerenda, scil. Dona, vota, & spontaneæ oblationes, & sic plenaria fit collatio dierum cum diebus, offerendorum cum offerendis, tantumque abest, ut ad alienam ac figuratam loquendi formulam hic confugiendum sit, ut ea potius defectum textui inferat, qui sibi planissimè constat, quando per Sabbatha L. c. ea quæ à *æge. Cæ.* talia dicuntur, intelliguntur. Hoc enim vult textus, quod præter Sabbatha in Paradyso instituta etiam alia festa superius memorata sint sanctificanda. Quod in versu præced. 37. per festa non simul ipsa etiam Sabbatha propriissimè sic dicta intelligantur, facillè patet ex v. 4. ejusdem capituli, ubi seorsim ratio Sabbathorum & festorum proponitur. Ipsa itaque necessitas postulat, ut hic in versu 38. per Sabbatha non sacrificia, sed ipsos dies septimos intelligamus; Aliàs enim nihil esset, quod ad primum membrum collationis referretur.

§. 11. Solet etiam à quibusdam dici Sabbathum pro ipsa futura requie vitæ æternæ ex verbis Esaie cap. 66. v. 23. Verum hæc potius ad rationem typicam referenda sunt, quam quod directè in eo sensu vox Sabbathum accipiat; fit enim etiam ratio mensium, quæ tamen in alterâ vita non servabitur, unde facillè patet, quod in hoc loco Spiritus S. de futura quidem vitâ loquatur, sed tamen per terminos temporis, in quo nunc vivimus, accommodatos, quod & exinde animadverti potest, quod meminît unius Sabbathi

Sabbathi post alium, cum tamen in altera vita non futura sit par-  
titiō temporis, sed unum perpetuum in omnem æternitatem Sab-  
bathum.

## CAPUT II.

### De Sabbathi ratione typica.

#### § 1.

**M**ira & delira ex ratione Sabbathi à nonnullis finguntur myste-  
ria, inter quos non immerito primum locum tenet Imma-  
nuel de Naxera, qui in Comment. in Iudices cap. 2. v. 5. §. 27. *Quod*  
*castitas & longissime vite vena & immortalitatis sit officina Sabbathum*  
*vult esse typum virginittatis. Verba ipsius hac de re sic habent §.*  
*cit. n. 114. Ut hanc veritatem variis nobis imaginibus sacra scriptura*  
*delinearet, cum creationis diebus noctes adjunxerit: factum est vespere*  
*& mane dies unus, Sabbatho nulla tenus noctem attextit: Requievit die*  
*septimo ab universo opere, quod patravit & benedixit diei septimo, & san-*  
*ctificavit illum. Si inquiras, cur Sabbathum tenebras luminis mortem*  
*ignoret, cum dies reliqui patientur: respondebit Hildebertus in allego-*  
*ria Tilmanni ad Cap. 7. Epistola prioris ad Cor. in Sabbatho virginittatem*  
*signari, utq; ab exordio agnosceret mundus virginittatem privilegio æterni-*  
*tatis gaudere, tenebra sabbathum nulla viserant, dies reliquos caligines*  
*obscurarunt. Nescit à quanta hereditate decidit, quisquis, ut heredes*  
*relinquat, similitudinem Angelorum deponit: num quid non intelligis sab-*  
*bathum consilii non precepti, sabbathum quo feriatur ab omni opere car-*  
*nis caro, quo sapit quiddam supra carnem caro. Nulla in sabbatho car-*  
*nis opera, ideo nulla vespere, dies reliqui ubi femina masculusq; producti,*  
*noctis horrores sunt passi; at ubi nihil carnis, & nihil inventum est mortis.*  
Egregia sane applicatio quàm recensuisse procul dubio satis est re-  
futasse, utpote eujus nec vola nec vestigium in sacris literis repe-  
ritur.

Gen. 1, 5.

Hildeb.

§. 2. Cyprianus de exhortatione Martyrum Cap. XI. Tom. 2.  
pag. 336. Ex ratione septimi diei durationis mundi terminum de-  
ducere conatur. *Quid vero, inquit, in Macchabæis septem fratres, &*  
*natalium*

natalium pariter & virtutum sorte consimiles, septenarium numerum sa-  
 cramento perfecta consummationis implentes? Sic septem fratres in Mar-  
 tyrio coherentes, ut primi in dispositione divina septem dies annorum se-  
 ptem millia continentes. Quid sibi velit Cyprianus, non satis intel-  
 ligo, Pamelius in adnotationibus ad hunc locum, addit: nisi ejus fue-  
 rit sententia, in qua se aliquando fuisse fatetur D. Augustinus lib. 20. de  
 Civit. Dei cap. 7. quod sex annorum millibus tanquam sex diebus impletis  
 sequeretur veluti Sabbathi septimus in annis mille postremis ad hoc scilicet  
 resurgentibus sanctis. Quae esset utcumque tolerabilis, inquit, si aliqua  
 delicia spirituales in illo Sabbatho affutura sanctis per Domini praesentiam  
 crederentur. Verum neque haec probatur opinio, utpote quae ad Chiliastrum  
 accedat quam proximè, qui hoc solo differunt, quod carnales delicias illo  
 Sabbatho somnient (inter quos fuerunt Latini Tertullianus, Lactantius,  
 Victorinus, Severus & Graeci Papias, Justinus, Irenaeus & Apollinarius)  
 & improbat D. Hieronymus praef. lib. 18. in Esa. & in c. 17. Ezechielis & in  
 Catalogo de Viris Illustri. Neque etiam satis certa est opinio de duratione mun-  
 di ad sex annorum millia duntaxat, quam l. c. sequi videntur D. Augusti-  
 nus & D. Hieronymus in illud Psal. 89. Quoniam mille anni ante oculos  
 tuos sicut dies hesternae. Quin imò refutatur ab ipso eodem D. Augusti-  
 no lib. 18. de Civit. Dei cap. 53. & disertis verbis in dictum Psal. 89. &c.  
 Rectissimè hac in parte Cyprianus à Pamelio reprehenditur; Nul-  
 lus enim omninò in sacris literis involvitur respectus termini  
 mundi ad sex dies operum & septimi Sabbathi. Ut taceam ea, quae  
 de Sabbathismo ultimi millenarii adduntur, de quibus consuli  
 potest Chiliastrum elenchomenos M. Joh. Georgii Seldii. Si ve-  
 rò ratio numeri excludatur, utique Sabbathum est typus quietis ope-  
 ra Christianorum subsequuturae: Partim ratione temporis; Qvie-  
 ti destinata est ultima dies post omnia opera perfecta & consum-  
 mata, ut notanter innuitur Gen. cap. 2. vers. 2. וַיְכַל אֱלֹהִים  
 בַּיּוֹם הַשְּׁבִיעִי מְלַאכְתּוֹ אֲשֶׁר עָשָׂה וַיְשַׁבֵּת בַּיּוֹם  
 הַשְּׁבִיעִי מְכַל מְלַאכְתּוֹ אֲשֶׁר עָשָׂה: Et perfecerat DEUS in die  
 septimo opus suum quod fecerat, & requievit in die septimo ab o-  
 pere suo quod fecerat; sic itidem quieti Christianorum non in-  
 termedius aliquis dies inter opera, sed ultimus demum postquam  
 omnia

Omnia feliciter consummata erunt, est destinatus: Partim etiam ratione ipsius modi quiescendi; Consistit enim quies Sabbathi non in audâ & absolutâ desistentia ab opere servili & exercitio operum sanctorum. Hinc notanter in prima institutione Gen. c. 2. v. 2. dies septima & benedicta & sanctificata dicitur; sic itidem electi in alterâ vitâ, in Sabbatho æterno, benedictione divinâ saturabuntur, & re ipsâ experientur sese esse benedictos patris cœlestis, ac etiam si in hac vitâ maledictionem primœvâ cum in variis hujus mundi ærumnis ac molestiis, tum etiam in ipsâ morte ex parte gustare necessum habuerint, jam tamen sese undiquaque benedictos esse; Nec solum ab omni opere servili in hac vitâ ipsi imposito cessabunt, & imprimis à peccatis, operibus certè maximè ac fœdissimè servilibus, sed præterea continuis laudibus, flagrantissimoque purissimæ sanctitatis exercitio Sabbathum hoc sanctificabunt, ingeminantes subinde cum sanctissimis Angelis, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Zebaoth.* Esaia 6. v. 3. Hoc ipsum respicit Esaia c. 66. v. 23. Etiam si enim ibi se accommodet ad rationem temporis in quo nunc vivimus, respicit tamen ad æternum æternæ vitæ Sabbathum, ut ex opposito statu damnatorum in v. seq. liquido apparet. Vanum est commentum Walæi in *dissert. de Sabbatho c. 2. p. 19.* ubi locum hunc Esaia de tempore novi testamenti, non vero de sabbatho vitæ æternæ intellectum vult, ex ea potissimum ratione, quod dies dominicus non possit dici typus quietis & felicitatis in vitâ futurâ. Etiam si enim in novo testamento non amplius habeamus typos & figuras ratione saluationis nostræ per Christum factæ & doctrinæ de salute nostra, nihil tamen obstat, quo minus aliquâ in re futuræ vitæ beatitudo nobis etiam in N. T. adumbretur. Demonstrari eadem ratio typica potest ex adhortatione Apostolicâ Hebræor. c. 4. v. 1. *Φοβηθήτω ἕν μῆποτε κατὰδειπμήρης ἐπαγγελίας εἰσελθεῖν εἰς τὴν κἀτάπαυσιν αὐτῶν, δοκῆ τις ὑμῶν ὑσερχέμεναι.* Eadem hic intelligitur *κατάπαυσις* seu requies, idem Sabbathum. Agit enim hic Apostolus de requie fidelium, ut patet ex v. 3. Hæc vero non est vel Sabbathum aliquod temporale, hoc enim ad omnes & singulos, non ad solos fideles pertinet; Vel etiam terra Canaan,

C

an,

an, ubi populus Israëliticus requiem temporalem invenit, nam & illam requiem credentes juxta cum incredulis communem habuerunt, hæc vero præcise est credentium. Qvin & præterea Apostolus Hebræos hortatur, ut studeant intrare illam requiem. Atqui Hebræi terram Canaan tunc temporis à multis jam annis possidebant, & eijciendi ex ea erant post Crucifixum Christum; Quid ergo Apostolus Christi eos hortaretur ad studium eam intrandi? Alia itaqve quies, æterna sc: hic est intelligenda Sabbathi vero hujus duplex proponitur typus. 1. Terra Patribus promissa, terra Cannan, in quam populus Israëliticus ex servitute ægyptiaca est introductus v. 3. Unde etiam occasio Apostolo nata est Sabbathi hujus mentionem faciendi. 2. Sabbathum septemdiale v. 4. Est itaqve omnino Sabbathum primitus in Paradyso institutum typus vitæ æternæ cujus imaginem & in statu innocentie felicissimè nobis exhibuisset, & nunc etiam aliquomodo exhibet.

§. Michael Ayguanus in *expos. Ps. 91.* (nobis 92.) triplicis meminit Sabbathi, temporis, pectoris & æternitatis. Sabbathum temporis, inquit, est dies septimus septimanæ &c. Secundum dicitur Sabbathum pectoris vel mentis, quod nihil aliud est, quam tranquillitas & quies bonæ Conscientiæ ex spe beatitudinis futuræ: Ut hic non turbetur adversis seculi; sed laborem patienter toleret, ut mercenarius spe præmii in fine diei percipiendi. Et istud Sabbathum conscientiæ duo principalia requirit. Primum, ut omnia tua bona Deo attribuas. secundum, ut omnia mala tibi. Tertium est Sabbathum æternitatis, seu requies æternæ beatitudinis, pro qua habenda in præsentī vita continuè laborare debemus. Hæc Ayg. Lc. De Sabbatho æternitatis in §. præced. egimus, & rectissimè laborum hujus vitæ molestias toleramus, & circum spectè in peregrinatione nostrâ procedimus, ne à domicilio huic Sabbatho destinato aberremus. Quod vero Ayguanus addit, quod pro habenda requie æternæ beatitudinis in præsentī vitâ continue laborare debeamus, fermentum Papisticum de merito bonorum operum sapit. Sabbathum mentis tropicè quidem dici potest, & merito requiem bonæ conscientiæ in omni opere Christianus lætatur, scriptura vero eam hoc titulo nullibi designat.

CAPUT

# CAPUT III.

## De Tempore instituti Sabbathi.

§ 1.

**A**riter hac de re quam plurimi concertarunt. Media est sententia Epiphaniij, quam in c. 1. §. 7. reiecimus; Est enim omnino unum idemque Sabbathum quamvis circumstantiæ illius non nihil fuerint immutata. Alij Sabbathum in monte sina quando lex lata est demum institutum esse contendunt, & verba Mosis Gen. 2. v. 2. vel per anticipationem dicta esse volunt, vel quod DEUS prædestinaverit tunc hunc diem ad celebrationem futuram. Rationes eorum potissimæ sunt hæc. 1. quod dicta quædam scripturæ huic sententiæ faveant. v. g. Ezech. c. 20. v. 10. 11. 12. Eduxi eos è terra ægypti, & abduxi eos in desertum, ubi dedi ipsis statuta mea, & jura mea nota feci ipsis, quæ qui faceret homo, viveret per ea. Atque etiam Sabbatha mea dedi ipsis, ut essent signo inter me & ipsos ut sciretis me Jehovah sanctificare ipsos. Et Nehemiæ c. 9. v. 14. Sabbathum quoque tuum notum fecisti eis, quoniam præcepta, statuta & leges præciperes eis per moysen servum tuum. 2. Quia non legimus datum fuisse Adamo ullum præceptum positivum, præter illud de non edendo fructu arboris vetitæ, Lex autem de Sabbatho omnino est positiva. Etiamsi enim ex lege naturæ constat Deum esse colendum, positiva tamen legis est circumstantia & temporis & modi. 3. Quia scriptura non meminit antiquioris mandati, & rationes præcepti à Mose allatæ spectant tempus liberationis populi Israëliti ex ægypto. 4. Quia de observatione Sabbathi nulla fit mentio in libro Geneseos. 5. Quia in statu innocentie homines non indignissent statim quædam relaxatione ab operibus ad inserviendum Deo, sed omnes dies ut pote ipsi sancti sanctificassent, atque sic perpetuum Sabbathum celebrassent. vid. Abulensis quæst. 3. in c. 23. levit qui pro sua assertione etiam citat justinum in Dialogo cum Tryphone. Eusebium histo. Eccl. l. 1. c. 4. Tertullianum & Cyprianum, adversus Judæos. Dionysius Carthusianus in enarrationibus in Exodum a. 32. Estius in Genesin. c. 2. Pererius lib. 1. in Genesin.

C 2

Lorinus

*da Broeck  
Cap: 9. de  
göäst: 2. a  
eat pergen  
statuente*

Lorinus in actus Apostolicos c. 1. v. 12. Gomarus in investigatione sententiæ de origine Sabbathi c. 4. & in defensione ejusdem contra Rivetum. Franciscus soarezus de sacrorum seu festorum dierum observatione & præcepto. c. 1. Johannes Prideaux oratione de Sabbatho. Robertus Loëus in effigiatione veri Sabbathissimi: Thomas Bradæus in tract. de sabbatho. Cyprianus quamvis à plurimis ex Abul. in hanc sententiam citetur, nusquam tamen adversus Judæos, ut allegatur, id asserit, nec ut puto etiam alibi. Tertullianum explicat Jacobus salianus in Annalibus V. T. ad annum mundi 1. diem 7. de Sabbatho prout à Judæis ceremonialiter & rigidè observatur. Hugo Grotius in explicatione Decalogi Tertullianum & Justinum Martyrem sic explicat, quod *Σαββατισμὸν* vel *Σάββατα Φυλάξαι* ijs idem sit, quod otiosi non autem laudes Deo perhibere. Veremur tamen cum D. Majore disput. de Sabbatho, ut omnibus locis Grotiana explicatio conveniat. Non nulli omnes Patres in eam sententiam interpretantur, quod de Sabbatho Judaico loqti sint. De cæteris omnino certum est, quod negent Sabbathum ante Mosen institutum fuisse. Quidam vero observationem ejusdem statim post exilium è Paradylo concedunt recurrentes partim ad traditionem non scriptam eamque dogmaticam, quæ non de ritibus sed de ipsâ doctrinâ quâ tali data fuerit, quos inter Whitus Episcopus Eliensis de Sabbatho. Richardus Montacutius part. 1. originum Ecclesiast. n. 43. Gomarus, soarius & alij. Partim ad immediatam revelationem extra & citrà scripturam sacram. vid. D. Major in disput. de Sabbatho. §. 7.

§. 2. Ut ut vero rationes eorum numero sat multæ sint ad probandum tamen id quod debent non sufficiunt. Ex Ezechiele cap. 20. & vers. 12. nequaquam illud sequitur, quod supra nominati Authores exinde deducere volunt. Æque enim ut hic vers. 12. DEUS dicit, quod dederit populo Israëlítico sabbatha sua, sic etiam in v. præced. ii. dicit, quod dederit ipsi mandata sua & docuerit ipsum jura sua per quæ vivit homo, qui ea custodit. Idem dicendum, idem tempus. At in v. ii. prima institutio intelligi planè non potest. Quid enim intelligitur potissimum per mandata & jura, quæ Deus dedit populo Israëlítico  
procul

procul dubio lex Decalogi. Hæc enim potissimum habet eam vim,  
ut vivat homo per eam, qui eam custodit vid. Matth. 19. v. 17. 18. Luc.  
10. v. 27. 28. Cætera præcepta non item nisi respectivè. Unde pro-  
fecto si vel maximè non sola hic intelligatur lex Decalogi, excludi ta-  
men ea non potest, sed potissimum ad eam habendus est respectus.  
Quid vero notius est, quam quod lex Decalogi non tum primum  
quando in monte sina solemniter est promulgata instituta sit, sed ex  
æterna & immutabili ipsius Dei fuit justitia, adoque juris etiam sit  
naturalis; & ipsos primos nostros parentes obligatos habuerit. Hinc  
legem conjugij novit Adamus Gen. c. 2. v. 24. Agnoscit enim o-  
portere, ut maritus & Patrem & Matrem relinquat uxoriqve suæ ad-  
hæreat, quod utiqve ad sextum præceptum est referendum. Ut &  
illud quod Gen. 6. v. 2. de filiis Dei dicitur, quod oculos direxerint  
ac conjecerint informositatem filiarum hominum, quo ipso lubido  
eorum indigitatur & reprehenditur. Hinc Adami conscientia in  
Judicium & testimonium vocatur annon transgressus ipse sit Man-  
datum Dei Gen. 3. v. 11. ipse vero ut pote in conscientia sua constrictus  
respondet non reiiciendo auctoritatem legis divinæ, sed agni-  
tam transgressionem ex persuasione uxoris seductricis, quam DEUS  
ipsi sociaverat, excusando. En vim primi præcepti in corde Adami.  
Hinc Cain Gen. 4. v. 10. 13. quando citatur ad reddendam rationem  
de occiso fratre agnoscit continuo, & cum tremore quidem ac con-  
sternatione summâ magnitudinem delicti. Vide sis vim & valo-  
rem præcepti 5. Quin idem solemniter propositum legitur Gen. 9.  
v. 6. Et facile esset, si itares postularet, univèrsum Decalogum ex  
temporibus Ante-Mosaicis demonstrare. Cum tamen nihilominus  
lex Decalogi in L. c. Ezechielis data dicatur populo Israëlítico, nul-  
la omnino est, quæ nos urgeat, necessitas, ut Sabbathum datum idem  
nobis sit, actum primum institutum. Quin potius consonantia con-  
textus in uno eodemqve loco consonantiam explicationis requirit.  
Et sic v. 12. de re primum instituta intelligi non potest. Sed explican-  
dus est uterqve versus de solenni promulgatione legis divinæ, quo  
spectant etiam ceremonialia & forensia, quæ ratione externi cultus  
tanquam certæ legis moralis circumstantiæ sunt addita. Valæus  
in differt. de Sabbatho c. 3. & hoc addi posse censet, non simpliciter  
in

in hoc loco Ezechielis dici, quod Deus tum Sabbatha sua eis dederit, sed quod ea eis dederit, ut essent signum, quod Jehovah nos sanctificat. *sic. non sequitur inquit, Datur iris Gen. 9. in signum fœderis, quod terra non amplius sit diluvio peritura. Ergo iris antea data non fuit, aut nota non fuit.* De ipsâ ratione signi quomodo Sabbathum datum fuerit populo Israëlítico res nota est, quod non, absolute loquendo, soli populo Israëlítico in signum datum sit, quod Deus eos sanctificet, sed omnibus in universum hominibus; Omnes enim Deus sanctificare voluit, & cognoscere se ab ipso sanctificari, nisi sanctificationi ipsius restitissent. Israëlítico vero populo præ cæteris Sabbathum tunc temporis nec ab alijs populis nec ab ipso etiam debite observatum notum rursus fecit, certisque ac sanctissimis circumstantijs ita determinavit, ut haud dubium visibilis Ecclesiæ signum esset. Unde & hæc interpretatio aliquo modo locum habere potest, nimirum, cum de re constet & ratio textus non repugnet. Cæterum quod de Iride Gen. c. 9. Conventientiâ loco additur minus huc quadrat. Verba enim illa sic explicari non possunt. *Dedis eis arcum meum in signum* sed separatim proponitur 1. Constitutio arcus. 2. Constitutio ejus in signum. Dæ enim hic Enunciationes copulantur. Et sensus est *Arcum meum dedi in nube.* Ibi absolute agitur de constitutione Iridis. *Et erit eis in signum.* Hic agitur de usu & ratione signi. Verba vero Ezechielis ita intellecta vult Walæus, ut una tantum sit Enunciatio; *Dedi eis Sabbatha mea in signum* & sic sola ratio signi inferatur. Ad argumentum secundum de lege positiva respondeamus negando (1) Legem de Sabbatho pure & mere esse positivam. Utiqve Legis naturalis est certum aliquod tempus celebrationi insigniori & sanctiori Divini Nominis essetribuendum. Etiam si enim in perpetuâ in statu integritatis homines vixissent sanctitate, nihilominus tamen laborandum ijs, quamvis non cum eâ, quam nunc, molestiâ fuisset. Et sic utiqve non absolum fuisset statum quendam diem eligere, in quo feriaretur ab omni opere & singulariter bonitatem & Magnificentiam Creatoris considerarent & celebrarent. Quem vero potius eligerent præ cæteris nisi illum, in quo Deus ipse ab opere Creationis cessavit? Quod tamen de modo celebrationis, præsertim per sacrificia, qvalia à Cain jam & Abele Deo oblata legimus,

mus, nequaquam intelligi debet. Sacrificia enim nec in statu integritatis oblata fuissent; Ratio enim sana & incorrupta non violasset sacrificia sensibilia. Nec post lapsum etiam nisi ex positivo Dei præcepto, quod accuratissimè demonstrat Venerandus Dominus Præses in scholâ sacrificiali publicè in Academia hac propositâ c. 1. Concl. 1. & 2. (2) Nullam legem positivam præter eam de arbore veritâ ante lapsum homini datam esse. Contrarium asserit textus Biblicus. Quid enim aliud est benedictio & sanctificatio nisi lex positiva de die præcise septimâ sanctificandâ? sanctificatio & benedictio diei septimæ aut fuit facta respectu Dei aut respectu hominum. Respectu Dei non potest facta dici nisi ratione institutionis ac benevolæ complacentiæ; Ratione observationis necessario facta dicenda est respectu hominum. Quod vero non nulli per anticipationem mandatum hoc intelligendum volunt, id locum habere non posse in §. seq. demonstrabitur. Patet hinc etiam falsitas argumenti 3. quod scriptura non meminerit antiquioris mandati, sanctificatio enim diei septimæ, de quâ Gen. 2. v. 2. evidentissimam præcepti vim habet. Nec majoris momenti est quod annectitur; Rationes sc: à Mose allatas spectare tempus liberationis populi Israëliti ex ægypto: In solenni enim Decalogi promulgatione Exodi. 20. plane nulla fit mentio liberationis populi Israëliti ex ægypto, sed ratio hujus præcepti sola hæc allegatur, quod Deus sex diebus fecit cælos & terram, mare & omnia quæ in eis, & requievit in die septimo ideoque ipsi benedixit eumque sanctificavit. Cum itaque in ipsa sollemnissimâ legis promulgatione non proponatur liberatio populi Israëliti ex ægypto, vel alius etiam respectus tempora Mosis aut populum Israëliticum particulariter concernens, falsum utique in argumento tertio hac etiam in parte committunt adversarij. Siquæ ex ratione Causæ, ut præsupponunt, agendum erit, faciet illud argumentum, ut patet, contra ipsos. Nec obstare poterit, quod ratio præcepti alibi ex liberatione populi Israëliti ex ægypto deducitur, magis enim ratio præcepti ex ipsâ promulgatione judicanda est. Altera illa ratio ex liberatione populi Israëliti ex ægypto minus propria est & secundaria tantum atque particularis. Sic Deuter. 5. v. 15. Moses quidem dicit datum esse populo Israëlitico præceptum de Sabbatho sanctifi-

sanctificando, eam ob causam ut recordaretur se etiam servisse in  
 ægypto, & potenti Dei dextrâ exinde educum esse, non tamen ita  
 intelligendus est, quasi hanc solam & universalem præcepti desabba-  
 tho causam esse velit. Ipse enim v. 5. hujus capituli testatur, se hic  
 repetere verba Domini antea jam à se proposita, quomodo itaque  
 hic reuerteret rationem antea Exodi nempe 20. annexam, & aliam pla-  
 ne, cujus ibi nementio quidem facta est, hic substitueret. Loquitur  
 ergo hic de ratione aliqua particulari populum Israeliticum in specie  
 concernente. Et in primis ratione hac respicit ad peregrinos, quibus  
 itidem ut servis Israeliticis die Sabbathi ferias concedi vult v. præced.  
 14. Ad Argumentum 4. respondemus Negando & Majorem &  
 minorem. falsa est major. si enim vel maximè nulla fieret mentio  
 observationis Sabbathi, non tamen exinde sequeretur illud ante tem-  
 pora Moysi institutum non fuisse, cum expressum extet mandatum  
 de Sabbatho sanctificando Gen. 2. v. 2 ut ad arg. 2. notavimus. Fal-  
 sa est minor, fit enim mentio Sabbathi sanctificandi ante legem latam  
 Exodi 16. v. 23. Vnde satis aperte constat sanctificationem Saba-  
thi aliquo modo ab Israelitis ante legem latam observatam fuisse. Et  
 quis dubitet familias sanctorum perpetuo certum quendam diem  
 cultui divino singulariter consecratum habuisse. Argumentum 5.  
 nullius omnino est roboris. Quis nescit Homini, etiam ante lapsum,  
 quamvis non cum molestia & in sudore faciei, ut post lapsum pœnæ  
 loco additum est Gen. 3. v. 19. agrum colendum atque sic laboran-  
 dum fuisse? Difertè enim Moses ait positum esse hominem in  
 hotro Eden ad colendum & custodiendum eum Gen. 2. v. 15. *De-*  
*us hominem collocat in hortum* (verba sunt D. Rungij in Comm. in  
 Gen. c. 2.) *non tantum ut ejus, seu cultissimi ornatissimiq; Theatri voluptate*  
*spectando fruatur; sed duo generum exercitii corporalis simul ei injun-*  
*git, culturam & custodiam.* Cultus horti ratione agentis & patientis  
 considerari potest. Adamo enim tale exercitium corporis mandatur, quod  
 etiam in hac nature corruptione judicatur facillimum, & cum singulari  
 aliqua voluptate coniunctum; quanto major fuisset futura instatu in-  
 nocentia, ubi colentis nulla defatigatio fuisset, horti culti summa faci-  
 litas & obsequium ad omnes hominis nutus. Deservisset porro cultus hic  
 non tantum ornatus, sed simul ad scopum principalem, videlicet Dei Crea-  
 toris

roris agnitionem illustrandam pertinuisse. Custodia paradisi in ar-  
dis feris, sursis, apris, leonibus, vulpibus aliisque, à quibus hortis horto-  
rumve labores & cultus vastari ac deformari videmus, sita fuisset. Eam  
solo nutu & voce administrasset Adam, quod nunc nobis fit armis aliisque  
apparatu nobis & aliis difficili & molesto. Cum itaque duplex exer-  
citiu[m] *Concordia* habuerit Adamus etiam ante lapsum, quæ est  
inconvenientia etiam in statu innocentie certo quodam ad id de-  
lecto tempore celebrationi Divini nominis ab omni opere va-  
candum fuisse, in memoriam Sabbathi ipsius Dei, qui quamvis ab  
opere creationis minimè defatigatus, requiem tamen suam in  
memoriale nobis constituere voluit.

§. 3. Perspecta insufficientia argumentorum, quæ propri-  
ori sententia adducuntur, asserimus Sabbathum die à prima  
mundi origine septimam adeoque in ipso Paradiso institutum fu-  
isse. Assertum probamus *ex Gen. i. 2. v. 2.* contineri in iis verbis  
institutionem Sabbathi negari omnino non potest, nec aliud con-  
tradictentes norunt effugium, quam quod per anticipationem,  
hæc dicta sint. Eam vero hic locum habere non posse nervosissi-  
mè & sufficientissimè demonstrat Dominus Præses in Scholâ sa-  
crificiali Cap. i. concl. i. fuisse quidem, inquit, omne tempus  
sanctis & intaminatis exercitationibus ad gloriam Dei in statu in-  
nocentie tribuendum, id enim requisivisset perpetuo debita se-  
cundum imaginis divina dictamen operatio: sed tamen Sabba-  
thum congregationum solennium tempus futurum fuisse, atque  
adeo originem Sabbathi ad ipsum innocentie statum referendum  
esse docet aperte locus Gen. 2. v. 3. ubi Moses intimè quietem di-  
vinam itemque benedictionem & sanctificationem diei septimæ  
cum opere creationis connectit, quem nexum nulla proleptis aut  
anticipatio convellit, ut pote cujus hoc loco nullum conspicitur  
indiciu[m], quæque, licet aliqua ejus exempla hinc inde conspici-  
antur, non tamen sine magnâ ratione urgente in aliquem scrip-  
turæ locum intromittenda est, unde ad rem nequaquam facit quod  
dicitur, Deum in quiete à Creatione destinasse futuris temporib-  
us, non ordinasse presentibus sanctificandum Sabbathum. Illa  
enim destinatio, cujus hoc loco Moses dicitur meminisse, aut est  
D  
tum pri-

*NT. iud. cap.  
§ 11. ab int.*

tum primo homini manifestata, aut non, si hoc, cur ejus faciat mentionem Moses finito actu creationis, & quiescente à production novorum operum Deo? Nonne enim destinatio diei septimi ad cultum Dei facta est ab eterno? Cur igitur opus fuit ejus ita facere mentionem ad finem operis creationis, tanquam tum demum divina prædestinatio contigisset. Si illud, nulla rursus ratio dari potest, cur primo homini manifestatio facta sit Sabbathi aliquando instituendi, quæ tamen eum nunquam obligatura erat, sed ex eius posteris demum aliquam gentem insequiori statu futuram; Certe Mosis verba disertè volunt, illum ipsam diem septimum, sc. qui opus creationis exceperat, quo Deus jam consummaverat omnia sua opera, quo quieverat, non autem alium demum, qui post duo millia annorum & quod excurrit recursurus erat, divinitus benedictum sanctificatumque ita fuisse, ut per revolutiones futuras celebrandæ creationis memoriæ adhiberetur, Nec necessarium fuit, ut quia Sabbathum mox à creatione divinitus est institutum, gentiles, qui propter scelera in legem moralem commissa passim in sacris literis reprehenduntur, etiam propter neglectum Sabbathi reprehenderentur, quod tamen nulli factum reperitur; Nam Sabbathi mandatum etsi quid morale in se contineat, non tamen est naturalis juris sicut aliorum vitiorum interdicta. Voluit in reprehensione gentilium SP. S. in primis ex principio in gravioribus, evidentioribus, magisque confundentibus versari Interim negari non potest, quando Nehem. 13. 16. Tirij redarguuntur, quod essent Judæis Authores violandi Sabbathi, ipsos etiam unâ oblique notari. Hæc. ven. Domin. Præses 2. Ex Exodi c. 16. v. 23. sic ibi mentio Sabbathi sequenti die celebrandi, unde sane luce meridianâ clarius patet Sabbathū jam ante solennem in Monte sina factam promulgationem populo Judaico cognitum fuisse. Loquitur enim Moses tanquam de re notâ, & ad debitam sanctificationem Judæos exhortatur. 3. Ex ipsis verbis præcepti de Sabbatho in Decalogo זָכוֹר יוֹם שַׁבָּתֹתֶיךָ Recordare diei Sabbathi, cujus præcipitur recordatio, ipse & prior institutio & subsequa neglectio præsupponitur. Quod minus rectè Judæi in Ægypto Sabbathum observaverint, dubium non est, nec dubium esse

um esse potest jam ante id fuisse institutum, cum in solenni Decalogi promulgatione non ipsum præceptum solummodo, sed præcipue & ratione formalis propositionis recordatio ejusdem præcipiatur. Minus Commode ex præcepto recordationis non nulli singularem aliquam præcepti de Sabbatho præ cæteris prærogativam deducere conantur; Quasi hac vocula præ cæteris præceptum tertium Deus populo Israëlítico commendare & ab eo sanctissime observari voluerit. Nihil enim nisi recordatio religiosa cultus diei septimi jam antea instituti hac vocula infertur. Cætera quidem etiam præcepta, ut superius notavimus, jam ante valorem habuerunt, quod vero huic soli notula recordationis est præfixa, ratio est evidens; cætera n. præcepta ut pote in totum juris naturalis non potuerunt memoriâ excidisse populo Israëlítico, eaq; transgressi dictamini ipsius conscientiæ resisterunt; Hoc vero utpote ex parte Ceremoniale & positivum excidisse memoria facile potuit propter neglectam aliquandiu solennem & debitam ipsius observationem. Quo considerato facile patet, quid vocula זָכוֹר Recordare, inuavat & quo tendat. (4) Ex causa instituti Sabbathi, quæ proponitur Gen. c. 2. v. 2. Et Exodi 20. v. 10. II. si nulla alia ratio suppeteret hæc vel sola sufficiens esset. Dicitur Sabbathum institutum & observandum esse in memoriâ cessationis Divinæ ab opere creationis. Hæc vero annon æquo jure tam ad omnes in universum homines quam ad Judæos spectat? Patet etiam hinc errare Gregorium Nyssenum de Sabbatho, quando illud institutum esse asserit ad sedandam avaritiam Judæorum, qui cum pauperes Ægypto exierint omni studio id egerunt, ut vulg. Nyssenus, ut divitias sibi compararent. Ad confirmandam hanc suam sententiam adducit alia opera, quæ ipso die Sabbathi licita fuerunt. ut 1. quod Jesus filius Navæ circumdans Hierichò cum tubis ad septem dies in Sabbatho feriatum non est 2. quod in Sabbatho etiam circumciduntur pueri 3. quod in die Sabbathi mulier parit. 4. quod sacerdotes omne sacrificium in Sabbatho faciunt. 5. quod Sol & Luna & sydera definitum cursum etiam in Sabbatho conficiunt. Ad ultimam rationem notamus plane eam huc non facere; quid enim cursus syderum ad opera vel quietem hominum? Cætera à Nysseno allata explicantur in cap. V. ubi prænotandum est.

## CAPUT IV. De Die celebrandi Sabbathi.

### §. I.

**I**D extra contraversiam est septimum diem esse Sabbathum. Quo ordine vero septimus ille numerandus sic difficultate non caret. Distincte hic procedendum erit considerando (1) Sabbathum Judæorum (2) Sabbathum Christianorum. Sabbathum Judæorum celebratum fuit die septimo numerando à primo die, quo opus creationis inceptum est; Deo dubium non est, quæ vero hora inceptum sit non ita facile constat. A vespera ad vesperam Sabbathum celebrandum fuisse patet ex Levit. c. 23. v. 32. quod ipsum quamvis ibi in specie defesto expiationum dicatur, rectissime tamen pro generali regulâ omnium Sabbathorum habetur à Menochio de Republicâ Hebræorum lib. 3. c. 1. Judæos ex præcedente die non nihil Sabbatho singularis devotionis causâ addidisse testatur Buxtorfius de synagoga Judaicâ cap. 10. p. 227. *Post vesperam, inquit, externum opus nullum amplius obeunt sed maturè Sabbathum inchoant, aliquid illi de reliquâ hebdomade concedentes.* Nec obstant Verba Lucæ c. 23. v. 54. *Καὶ ἦν ἕως ἡμέρας τῆς παρασκευῆς καὶ Σάββατον ἐπέφωσκε.* *Et dies erat parascheves, & Sabbathum illucescebat.* Non enim necesse est, ut Lumen illud intelligamus de lumine solari, atque sic Sabbathum intelligatur tempore matutino incepisse, potest namque commodè lumen illud intelligi de lumine veneris, quæ conspicuâ Sabbathum incepit. Quin idem exigit circumstantia contextus. Loquitur hic Evangelista de illo tempore, quo Josephus Christum cruce detractum sepelivit: Id vero non est factum illucescente sole, sed tempore vespertino: Suspensi enim eodem statim die sepeliendi fuerunt juxta mandatum Divinum Deut. c. 21. v. 23.

§. 2. Christianorum Sabbathum ex institutione ipsius Christi si non immediatè certè tamen mediatè per Apostolos celebrandum est die prima hebdomadis, quæ Christus servator noster post contritum caput serpentis à mortuis resurrexit. Haud cujusquam nisi ipsius Dei Authoritati tantum tribuendum fuisset, ut diem Sabbathi celebrandi mutaremus, cum in ipso decalogo lex de Sabbatho sanctificando

ficando contineatur. Caterum tamen cum ipsi Apostoli diem mu-  
 taverint nostrum non est ipsorum authoritati, quæ est ipsius Christi  
 & Spiritus S. reclamare; Cumque facta sit in ipso die mutatio facile  
 exinde colligere licet præceptum de Sabbatho partim esse morale,  
 partim vero ceremoniale. Morale est consecratio certi alicujus di-  
 ei ad cultum divinum. Ceremoniale est determinatio illius diei ad  
 diem septimum, & modus eundem celebrandi, de quo videri possunt  
 Thomas. 2. 2. q. 122. a. 4. ad r. Menochius de Republ. Hebræorum  
 lib. 3. c. 1. p. 24). Nicolaus Abramus in Pharo V. T. lib. 14. p. 372.  
 373. Walæus in dissert. de Sabbatho cap. 4. & alij. Apostolis die prima  
 hebdomadis Sabbathum fuisse ex plurimis locis sacrae scripturae de-  
 monstrari facile potest, quorum unum alterumque solum brevitatis  
 gratiâ proponemus. Act. 20. v. 7. verba hæc habentur. *Ἐν μιᾷ τῆ  
 Σαββάτων Σωτηρίων τῶν μαθητῶν κλάσαι ἄρτον ὁ πῦλος διελέ-  
 γετο αὐτοῖς μέλλων ἐξίεναι τῆ ἐπαύριον, παρέτεινέ τε τὸ λόγον μέχρι με-  
 σσηκπῆς.* Primo autem die hebdomadae congregatis discipulis ad  
 frangendum Panem Paulus diserebat eis profecturus postredie pro-  
 tenditq; sermonem usque in mediam noctam. Per *μίαν τῆ Σαββάτων*  
 non alium intelligi posse quam diem primum hebdomadae ex analo-  
 gia N. T. & hebraismo *Ἐ μίαν* notissimum est. Et quamvis Luth-  
 erus noster indefinitè verba illa intelligere videri forsitan possit, quan-  
 doquidem ea plerumque vertit *Nuseinen Sabbath/* certissimum  
 tamen est eum hac versione potius vocem quam sensum exprimere  
 voluisse, sensum vero hujus vocis eundem quem modo exposuimus  
 agnovisse; Interdum enim *πρὸ μιᾶς τῆ Σαββάτων* per primam ex-  
 plicat. V. G. Matth. c. 28. v. 1. *Ὁψὲ ἃ Σαββάτων τῆ Ἐπιφωσκῆσῃ εἰς  
 μίαν Σαββάτων.* Lutherus. *Am Abend aber des Sabbathts  
 welcher anbricht am morgen des ersten Feirtages der Sab-  
 bathen.* unde immerito sane perstringitur Lutherus à Lorino in c.  
 20. act. quod perinepre verterit hoc Loco Sabbathum. Aliud cer-  
 re est explicare textum, aliud eundem in aliam linguam transferre.  
 Die hac solennem in Ecclesia Apostolica fuisse conventum, Et qui-  
 dem Sabbathicum, Textus supra citatus satis demonstrat. Dicitur  
 enim 1. Conventum hunc institutum fuisse post Commorationem

Pauli in isto loco in septimum diem. 2. Conventum istum institu-  
tum fuisse ad frangendum panem, quod absque dubio de fractione  
Panis Eucharistici est intelligendam. Et consequenter patet diem  
hunc solenniori divino cultui fuisse destinatum. i. ad Corinth. 16. v.  
12. Paulus Corinthios monet ut pro pauperibus aliquid colligant  
ἐν μιᾷ τῆ σαββάτων, quovis primo die hebdomadis. Cur hoc  
potius die illud faciendum svader, quam quovis alio? Absque dubio  
eâ de causâ, quod eo die Sabbathum fuit, ubi publicè congregatî  
Christiani divino cultui vacarunt. Constat idem ex Apocal. c. i.  
v. 10. ubi Johannes dicit se fuisse ἐν πνεύματι ἐν τῇ κυριακῇ ἡμέρᾳ  
per ἡμέραν κυριακῶν non potest alia intelligi nisi dies dominica, quæ  
in latina etiam Ecclesia hoc nomine insignita est; quod vero dicit  
Johannes se ἐν πνεύματι fuisse non potest hic de singulari quâdæ ecclasi-  
si seu revelatione spiritus intelligi, sed intelligendum est de medi-  
tatione quadam spiritali ac sedula, seu de devotione Johannis qua  
Deum die dominicâ coluit; seorsim enim hæc duo ponuntur i.  
quod Johannes fuit ἐν πνεύματι ἐν τῇ κυριακῇ ἡμέρᾳ, & quod me-  
ditationibus sacris intentus per revelationem specialem de plurimis  
absconditis certior factus est.

§. 3. Patet hinc non esse libertatis Christianæ quam diem  
pro Sabbatho habere velimus, cum diem Dominicam iam ab ipsis  
Apostolis loco Sabbathi V. T. institutam fuisse sacræ literæ testentur;  
Nec alicujus momenti est, quod Rivetus in cap. 2. Genes. exerc. 13.  
excipit contra allatas rationes, i. Non sequi Exemplis Apostolo-  
rum contineri mandatum, quod fuerit juris divini, etsi juris Ecclesi-  
astici non eat inficias, quod proinde in libertate Ecclesiæ fuerit re-  
lictum pro ratione circumstantiarum, ut eundem diem vel servaret  
vel mutaret; prout fueri oportunum & aptum ad publicum Dei cul-  
tum. 2. quod Ecclesia Christiana ex parte exercuerit libertatem circa  
diem Sabbathi celebrandi. Cum initio, inquit Rivetus l. c. Apostoli u-  
trumq; diem, Sabbathi & diei dominicæ sacris exercitiis applicassent sab-  
bathis una cum Judæis convenientes & de rebus divinis dissertantes, die-  
bus autem dominicis cum Christianis mysteria sacra celebrantes, factum  
est ut diu uterq; dies in plerisq; Ecclesiis solenniter fuerit observatus adeoq;  
in Eccle-

*in Ecclesijs gratia magnâ cum hilaritate transactum fuerit Sabbathum.*  
Primam exceptionem nullius esse valoris facile cuius vel obiter tantum rem consideranti patet. Cum enim in primâ institutione sabbathi in Paradyso præcise illius sanctificatio determinata fuerit ad diem illum septimum, quo Deus quievit ab omni opere suo, post modum vero in N. T. determinata sit ad illum diem, quo Christus perfecto opere redemptionis generis humani resurrexit, quis non in ipsa mutatione diei Sabbathi mysticam quandam convenientiam agnoscat, eamque juris divini esse concedat? Altera exceptio falsissima supponit. falsissimum est primam Ecclesiam utrumque diem solenniter observasse, fecerunt illud Ebionitæ, qui Apostolorum quorundam adhuc superstitem ævo exorti sunt, & inter ceteros errores etiam propter hunc à prima Ecclesia condemnati sunt Teste Eusebio lib. 3. historiæ Eccles. c. 21. & Theodoro lib. 2. hæret. fabul. quod ipse Walæus, qui alias hac in parte cum Riveto confentit, fatetur in dissert. de Sabbatho. c. 7. p. 171. Et invictè exinde probari asserit Diem Sabbathi non habuisse inter Christianos vacationem ab operibus ordinarijs, nec eâ solennitate fuisse cultum, quæ Dominicus celebratus fuit. Hæc itaque Riveti exceptio apertissimæ fallitatis ab Ascecla ipsius Walæo arguitur. Ipse vero Walæus L. c. dicta quædam scripturæ pro sua opinione stabiliendâ adducit Rom. sc: c. 14. Gal. 4. & Coloss. 2. in quibus discrimen dierum ab Apostolo tollitur undè sic argumentatur. *Si Christus ipse hujus diei præ cæteris observationem non tantum exemplo sed etiam instituto suis discipulis mandavit, nulla libertas amplius in ejus observatione videtur posse cogitari. Quod enim Christus ipse determinavit id in libertatem Christianam non amplius cadit. Non magis quam Judæis libera fuit diei septimi à creatione celebratio, quando Deus illum non tantum exemplo sed etiam præcepto à reliquis ad suum cultum segregavit.* sed loca illa citata pro ipsorum assertione planè non faciunt; Loquitur enim in locis illis Apostolus de diebus festis Judæorum, quos quidam inter novos Christianos observabant, quidam vero non; Inter festa illa simul recensentur Sabbathata, pro ut sc: certis quibusdam circumstantijs solos Judæos obligabant.

CAPUT

## CAPUT V.

### De operibus die Sabbathi licitis & illicitis.

**N**ulla planè opera servilia seu ad corporis sustentationem spectantia licita fuisse Judæis die Sabbathi clarissimè patet ex eo, quod ne Manna quidem colligere die Sabbathi licitum fuit. Exodi 16. & ex pœna qua affectus est, qui die Sabbathi ligna collegit Num. 15. Licita tamen fuerunt opera ad cultum divinum spectantia, quamvis non nisi ratione finis ab operibus servilibus fuerint distincta. Sic licitum omnino fuit sacerdotibus sacrificia die Sabbathi mactare, & omnia perficere quæ ad oblationem sacrificiorum requisita fuerunt, ut videri potest. Numer. c. 28. v. 9. Licita item fuit circumcisio parvulorum; Hæc enim ex mandato divino semper octavo ætatis die peragenda fuit Gen. 12. v. 12. Nec vere inter opera servilia numerari potest. Licita etiam fuerunt opera extremæ necessitatis & quæ amor proximo debitus exigit. vid. Matth. c. 12. Marci. 2. Luc. 6. Iter facere plane Judæis jure divino prohibitum fuisse nonnulli, ut Menochius de Republ. Hebræor. lib. 3. cap. 1. ex Exodi c. 16. v. 29. deducere volunt. Ubi Judæi jubentur die Sabbathi domi manere nec egredi è loco suo. Alij, ut Ribera de Templo lib. 5. c. 1. Latius hæc verba interpretantur, & id tantum ex ijs sequi volunt, quod iter Sabbatho conficiendum brevissimum esse debeat. Verum ipsa verba absolute sonant, & videtur Ribera hunc iis sensum affingere ad consonantiam inducendam inter mandata Dei & observantiam populi judæici; Notissimum enim est, quod secundum observantiam non omne iter die Sabbathi in populo Judaico prohibitum fuerit, sed alia commodiori ratione contradictio hæc evitare potest. Loquitur enim Deus in L. c. Exodi c. 16. non absolutè de omni itinere, sed id tantum vult ne quis exeat è loco suo die Sabbathi ad manna colligendum. Et hac ratione etiam nullum planè iter licitum fuit in populo Judaico die Sabbathi; eo sc. fine ut proprium commodum sustentationis aut Lucri gratiâ eo die quærerent. Bellum Josuæ, quando ipse die Sabbathi urbem Jericho expugnavit specialis fuit divinæ dispensationis. Quomodo Christianis Sabbathum celebrandum sit Deo dante alio tempore proponetur.

❖(○):(○):❖





*in Ecclesijs gratiæ magnâ cum hilaritate transactum fuerit Sabbathum.*  
Primam exceptionem nullius esse valoris facillè cuius vel obiter tantum rem consideranti patet. Cum enim in primâ institutione sabbathi in Paradyso præcise illius sanctificatio determinata fuerit ad diem illum septimum, quo Deus quievit ab omni opere suo, post modum vero in N. T. determinata sit ad illum diem, quo Christus perfecto opere redemptionis generis humani resurrexit, quis non in ipsa mutatione diei Sabbathi mysticam quandam convenientiam agnoscat, eamque juris divini esse concedat? Altera exceptio falsissima supponit. falsissimum est primam Ecclesiam utrumque diem solenniter observasse, fecerunt illud Ebionitæ, qui Apostolorum quorundam adhuc superstitem ævo exorti sunt, & inter cæteros errores etiam propter hunc à prima Ecclesia condemnati sunt Teste Eusebio lib. 3. historiæ Eccles. c. 21. & Theodoro lib. 2. hæret. fabul. quod ipse Walæus, qui alias hac in parte cum Riveto consentit, fatetur in dissert. de Sabbatho. c. 7. p. 171. Et invictè exinde probari asserit Diem Sabbathi non habuisse inter Christianos vacationem ab operibus ordinarijs, nec eâ solennitate fuisse cultum, quæ Dominicus celebratus fuit. Hæc itaque Riveti exceptio apertissimè fallitatis ab Ascecla ipsius Walæo arguitur. Ipse vero Walæus L. c. dicta quædam scripturæ pro sua opinione stabiliendâ adducit Rom. sc: c. 14. Gal. 4. & Coloss. 2. in quibus discrimen dierum ab Apostolo tollitur undè sic argumentatur. *Si Christus ipse hujus diei præ cæteris observationem non tantum exemplo sed etiam instituto suis discipulis mandavit, nulla libertas amplius in ejus observatione videtur posse cogitari. Quod enim Christus ipse determinavit id in libertatem Christianam non amplius cadit. Non magis quam Judæis libera fuit diei septimi à creatione celebratio, quando Deus illum non tantum exemplo sed etiam præcepto à reliquis ad suum cultum segregavit. sed loca illa citata pro ipsorum assertionem planè non faciunt; Loquitur enim in locis illis Apostolus de diebus festis Judæorum, quos quidam inter novos Christianos observabant, quidam vero non; Inter festa illa simul recensentur Sabbathata, pro ut sc: certis quibusdam circumstantijs solos Judæos obligabant.*

CAPUT

